



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Crederet in Christum, quid sit verè & integrè. tit. 42

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ideò differt ab alijs non voluntarijs, & sic præmia sua habet.

CREDERE IN CHRISTVM

quid sit verè & integrè.

TITVLVS XLII.



Primò, Credere in Christum, est non solum credere, quòd filius Dei sit, quòd mortuus est in cruce pro salute totius mundi. Hoc enim dæmones Marc. 1. & Luc. 4. & omnes mali credunt, quòd verum sit: sed verè & integrè credere in Deum & filium suum vnigenitum, est Deum diligere, obedire eius præceptis, timere, facere proximo, sicut vis tibi fieri, Mat. 22. Hæc enim opera sunt tua fides, hæc testatur fidem tuam. August. serm. 37. de tempore: Fides à facto est, fac ergò quod debes, & fides est vera. Ideò opera tua sunt fides.

Secundò, credere verè in Christum, non est cogitatio separata ab obedientia Dei & eius præceptis. Sic quòd solum credis, Christum te redemisse: Hæc fides cogitatio est, & non fides: ideò quandò facis opera, id est, diligis Deum & proximum, hoc facere est fides vera. Matthei 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &c. sed qui facit voluntatem patris, hic scilicet credit. Ergo sine facto operum fides non est vera. Quicumq; ergo viuit contra Dei præcepta, contra dilectionem proximi, in odio viuit, aut luxuria, & peccatis alijs &c. hic non rectè dicitur credere. Si crederet, Deo obediret, ergo opera tua sunt fides tua. Non igitur fides est res separata à facto operum, sed factum opus est fides, &c. opus est fides tua, non vana opinio, sicut etiam Iacobus dicit 2. cap. Ostende ex operibus fidem tuam, & exemplificat de famelico & nudo &c. Sic dicitur Matt. 1. Abraham gen. Isaac, Isaac genuit Iacob, &c. aut Isaac est genitus ab Abraham,

braham, &c. non tamen ibi excluditur Sara mater, licet non exprimitur. Sic fides licet iustificat, non tamen sine operibus saluat, &c. Vulgò enim dicitur: opus, non nomen, facit Magistrum: sic opus, non nomen, facit fidelem.

Tertiò, inquires: Si opera sunt fides, ergo nemo est qui credit super terram: si seruare præcepta Dei, si Deum ex toto corde diligere, & proximum sicut seipsum, neminem odisse, nullum peccatum contra Deum facere, &c. est fides: Respond. Nunquid sine causa putas Christum dicere, Luc. 18. Cùm venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Magna ergò res est fides, non vana cogitatio: quo fit, vt nemo se præsumere possit de perfecta fide, quia nullus in factis omnibus, quæ Deus exigit, hoc ostendit.

Quartò, omnes igitur nos hic humiliari oportet, & non præsumere de fide, & petere cum discipulis Lucæ 17 Domine, adauge nobis fidem, & Mar. 9. Credo Domine, sed adiuua meam incredulitatem. Nemo ergo contra alium præsumere & gloriari debet de perfectione fidei. Postquàm enim omnia feceris, quæ Deus tibi præcepit, tunc habes veram fidem, opera sunt fides tua.

Quintò, & sic benè dicit Erasmus, Quòd fides non sic leuis est res, sicut vulgus opinatur: scilicet, Credo in Christum, & sufficit &cæt. Sed si omnia feceris, tunc dic, credo, &c. Aliud est, inquit Augustinus, Credere Deum, scilicet esse. Credere Deo, qui vera loquitur: sed credere in Deum, est amore illi inservire super omnia, & sua præcepta implere &c. Et tunc sequetur præmium ex promissione, id est, merces promissa, non effectiuè promerita.

Sectæ faciunt fidem solam ad Deum. Nam Deus est qui iustificat, id est, remittit peccata, Romanorum tertio. &c. Deus est qui saluat, Ioan. 10. Ego do vitam æternam. At illi omnia hæc tribuunt suæ fidei. Nam sola

sola fides, inquit, iustificat & saluat, &c. Sed quid
hinc facit Deus? certissimum est, Qualia sunt opera
tua, sic est fides tua.

FIDES CHRISTIANA

charitatem, exigit.

TITVLVS XXXIII.



R Imò notandum, quòd scriptura de
nulla alia fide, id est, neq; Iudaica, aut
Turcica, aut Gentilicia dicit, aut requi-
rit circa illam charitatem, sicut Chri-
stiana fides, de qua dicit Apostolus Ga-
lat. 5. quod hæc sit vera, quandò per charitatem ope-
ratur. Et August. dicit, quòd dæmonum fides sit abs-
que charitate, sed Christianorum Catholicorum cum
charitate. Ideò charitas sola distinguit inter falsam
& veram fidem &c.

Secundò, Paulus sic combinat charitatem fidei,
quòd asserit omninò fidem inualidam fore sine cha-
ritate, 1. Corint. 13. Si habuero omnem fidem, non au-
tem charitatem, nihil prodest. At dices: Quomodo
tunc volunt esse coniuncta, Fides, charitas, spes? Re-
spondeo. Fides fundat se super solam misericordiam
promissam propter Christum, charitas famula est, Des-
seruiens, & proximo propter Deum. Spes est contra
desperationem, quæ non confundit, Rom. 8. Hæc au-
tem tria sic sunt connexa, quòd vna virtutum sine al-
tera esse non possit. Vera fides non est absq; charita-
te, vera charitas non absque fide, vera spes non absq;
fide & charitate. Manent autem nunc in hoc sæculo
Fides, Spes, Charitas. Sed maxima harum est chari-
tas, eò quòd ornat fidem & spem. Subindè, quòd est
diuturnior, id est, perpetua: hinc enim incipit, & apud
beatos erit perfectior. Summa, charitas nunquam
excidit, 1. Corinth. 13. Ergò fides & spes, neque aliter
virtute